

NICOLAVS STALBURGER PRAETOR FRANCKFOR-
dianus.



Nicolaus ex nobili familia Stalburgerorum Franckofurti natus fuit, anno circiter millesimo quadragesimo nonagesimo. Erat is fœlici ingenio præditus. Itaque parentes bonis studijs primam eius ætatem informandam duxerunt. Ea is auidè percepit, atque postea ad ciuilia negotia animum adiecit. Inerat enim ei singularis quædam ingenij perspicuitas, & morum gravitas. Vnde postea in senatum receptus, res sibi commissas magna dexteritate perfecit. hinc factum ut etiam tandem Prætor Franckfordianus constitueretur, cuius summa est in ea republica auctoritas. Erat autem is pietatis & religionis studiosissimus. itaque Euangelij doctrina percepta eam suscepit, & ut alij idem facerent author extitit. Cum ego anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Franckoforti essem, adhuc ueneranda canitie insignis rebus præfuit, atq; à ciuib; maximè dilectus fuit, qui etiam mihi has eius uirtutes plurimū prædicarunt & commendarunt. Anon.